



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Ludovico Magno Panegyricus

Orléans, Pierre Joseph d'

Rothomagi, 1673

urn:nbn:de:hbz:466:1-12209



6


X XI. 37.

Th. 5796.


H XI

23









LUDOVICO

MAGNO

PANEGYRICVS

DICTVS

AD SCHOLARVM ROTHOMAGENSIVM

INSTAVRATIONEM.

A

PETRO IOSEPHO D'ORLEANS

Societ. IESV.



ROTHOMAGI;

Apud JACOBUM LE BOULLENGER,
propè Collegium Archiep. Soc. JESU.

M. DC. LXXIII.

LUDOVICO

MAGNO

PANNONICO

PRINCIPALI

AD SCIENTIAM ROTOMAGENSIVM

INSTAURATIONEM

JOSEPHO DORLEMAN

SOCCO

JOHANNES

BOURBONNE

COLLEGIUM ROTOMAGENSIS

M. DC. LXXII



ILLUSTRISSIMO VIRO
CLAUDIO PELLOT
SENATUS NORMANNIÆ
PRINCIPI.



*ACTVS sum, VIR
ILLVSTRISIME,
quod ne in animum qui-
dem venisset optare, unde
offerrem tibi dignum te, dignum Se-
natus principe munus, Regis imagi-
nem. Quæ etsi est adumbrata hic à me*

potius, quam expressa ad vivum; quis enim, nisi Apelles sit, bene Alexandrum pingat? habet hæc lineamenta certe, ex quibus Regum maximum populi discernant à Regibus cæteris, Tu earum virtutum exemplar, quas tibi proposueris ad imitationem, agnoscas.

Representabit illa tibi nempe, quam sectaris, dignam summi Magistratus splendore vita magnificentiam. Exhibebit, quam in te effinxisti, in audiendis supplicibus benignitatem, in causis discutiendis diligentiam, in contentionibus dirimendis æquitatem. Revocabit in memoriam à quo acceperis assiduitatem tantam in confessibus, tam constans tricarum forensium odium, tam incorruptum,

*tam inaccessum gratia & largitionibus animum. Ponet ob oculos, quam adeo fœliciter es imitatus, artem con-
dienda morum elegantia gravitatis, qua sic judicem agis, ut nihil omittas quod sit urbani viri, sic privata vitæ colis officia, nihil ut de personæ publicæ dignitate remittas. Dignus eo Rege Minister, qui Rex orbis terrarum maximus, vir regni sui numeris omnibus absolutissimus esse dicitur.*

Inchoavit has in te quidem natura dotes, cum natum ad summa quæque animum indidit; corroboravit institutio, cum excultum literis politioribus ingenium finxit ad omnem humanitatem; perfecit vero Regis exemplum, cujus acturum te pro dignitate vices non putasti, nisi commissam tibi Rei-

*publica partem, iisdem quibus ipse
totam regit, virtutibus administrares.
Vale. Offerebat Rothomagi Kal. Ian.
anno M. DC. LXXIII.*

A. T.

Addictissimus
PETRUS JOSEPHUS D'ORLEANS,
S. J.



LUDOVICO
MAGNO
PANEGYRICVS
DICTVS
AD SCHOLARVM ROTHOMAGENSIVM
INSTAURATIONEM.



LIQVAM esse religionem in nominibus opinio fuit veterum sapientum, PRÆSIDES ILLUSTRISSIMI, SENATORES AMPLISSIMI, VIRI OMNIUM ORDINUM ORNATISSIMI, quibus cum persuasum esset vim habere quandam elementa ipsa, ex quibus constarent, haustam ab efficientia siderum, persuaderi & illud quoque pronum fuit, in iisdem esse & ominis & momenti plurimum ad fœlicitatem.

A

Quod etsi commentum est inane certe & plenum superstitionis, habet hoc veri tamen: afferre principibus illustria nomina, si non virtutis aliquid, splendoris certe non parum; in iisque contineri, sin minus augurium magnitudinis futuræ, insigne sane apud posteros fortitudinis præteritæ monumentum.

Ac illud quidem majores nostri cum intelligerent, in eo incubuere toti, id ut principibus quos memoriæ posterorum Commendatos vellent, imponerent nominis, quo & facta eorum & virtutes optime repræsentarentur. Quæ consuetudo, cum esset à patribus propagatione continua transmissa tandem ad nos, incertos diu multumque habuit, quo præferri nomine appellandus esset, in quo summa esse viderentur omnia, LUDOVICUS.

Adeodatum dicebant multi, multi bellatorem, pacificum alii, alii Augustum, nonnulli fœlicem nuncupabant: sed quota pars virtutis Regiæ his titulis exprimebatur? Nec sane potuit exprimi satis tota, nisi ipsa, quæ summam in omni genere fuisse indicaret, MAGNI appellatione, qua non privatis assentatrici aulæ studiis, sed communi populorum consensu, in quo divinum quiddam esse solet, nuper est decoratus.

Quod quam merito factum sit coram studiosissimo magnitudinis Regiæ senatu disputare meditati, rediit in memoriam Fuentii Comitum, apud nos pro Catholico Rege non ita pridem Legati, dictum illud

non minus sapienter, quam ad rem nostram commode : abundare hoc in Ludovico quod Rex sit ; perinde ac si diceret, tantum esse Ludovicum, nihil ut in eo sit minus, quam quod inter homines reputatur esse maximum.

Sic prorsus se res habet, AUDITORES. Major est à seipso quam ab imperio Ludovicus, in quo plus possit ad conciliandam sibi subditorum reverentiam majestas oris quam ornamenta dignitatis, quæ erit pars orationis hujus altera ; plus valeat ad incutiendum timorem hostibus animi vis, quam exercituum robur, quæ altera orationis meæ pars postquam à me faventibus vobis probata fuerit, perorabo.

QUANQUAM fecere omnino sapienter, qui ad conciliandam regibus auctoritatem, voluerunt esse summæ dignitatis insignia quædam, quibus & fecerentur ipsi à populo, & sui reverentiam subditis imprimerent : fateri nihilominus necesse est ne hac arte quidem consultum satis esse majestati. Ut enim sit in toto illo apparatu splendor quidam sane maximus, unde regibus multum accedat lucis, quia tamen adventitium totum est quidquid est hoc tandem ornamentum, non inditum à natura ; non potest non abesse sæpe ab iisdem, si vel facere populo copiam sui temperata majestate, vel abjecto oneroso fastu dare se familiaris amicis velint. Vnde nec raro illud item accidit, ut deposito eo quo cæteris omnibus majores sunt, inferiores esse videantur quamplu-

rimis; & quos in folio fueris veneratus, eosdem in turba postmodum contempnas.

Est hæc, AUDITORES, propria Ludovici laus, ut regis non egeat insignibus, Rex ut esse videatur. Neque vero metuendum est ei ne accidat idem unquam, quod Alexandro Macedoni ferunt contigisse, cum est Ephestion coram eo à Regina Persarum Sisingambe pro Rege salutatus. Vbicumque Ludovicus fuerit, nemo in agnoscendo principe errabit, nemo confundet non modo cum subditis, sed ne ipsis quidem cum regibus.

Contemplare augustam bene compacti corporis proceritatem, tale magnæ mentis decuit esse domicilium; admirare in oculis & facie tota temperatam gravitate serenitatem, talem ejus esse vultum oportuit, cujus ex nutu bonorum merces, malorum pœna, omnium fortuna penderet.

Hæc enim sunt, hæc demum, AUDITORES, vera germanaque Regiæ dignitatis insignia, non obnoxia errori, non subjecta imperio fortunæ, non mutanda vicissitudine temporum: quippe quæ nec ab eo, qui Rex sit, avelli per vim; nec in eum, qui non sit, transferri per artem possint. His ornatus Cyrus Rex fuit vel inter pastores, his destitutus Alexander ne inter proceres quidem suos pro rege habitus est. In quo sane difficile non fuit errare prudentissimam alioqui scœminam, cui consentaneum non videbatur quærere in pusillo corpore animum mundo majorem.

rem.

PANEGYRICVS.

reim. Neque enim verisimile satis existimabat esse, quem tantopere supra cæteros fortuna evexisset, eadem naturam nihil dedisse præter cæteros quod appareret egregium: adeo alienum putabat ab eo quem adorabat orbis, ut posset vel ab ignorante contemni. Et in eo quidem errore si quid injuriæ fuit quod tacite pupugerit Alexandrum, quod etsi dissimulavit sapienter, pronum est tamen de appetentissimo gloriæ viro suspicari: famæ id suæ debuit tribuere totum celebritatique nominis, quæ talem repræsentasset absentibus, qualem præsentibus figura corporis non posset exhibere. Quærebantur in eo quippe, qui se jovis filium appellari volebat, divinitatis ingenitæ vestigia: & in quem jura regnorum omnium transmissa fuissent, in eum credebatur Regum omnium majestatem debuisse transfundi.

O! magnum etiam præ magnis Regibus Ludovicum, AUDITORES, quem laudare fama sine adulationis suspicione possit, vel si conetur adulari. Dicat, dicat illa de principe nostro quæcumque de alio hactenus nullo dicta ~~non~~ recordamur: narret ut cælitum munere concessus sit precibus parentum & populorum votis, ut adoleverit inter arma tumultusque bellorum, ut civiles discordias, ceu monstra olim Hercules, eliserit è cunabulis, ut pacem & comites pacis artes reduxerit ad nos factus aliquando grandior, ut oppressa hæresi sacris restituerit tranquillitatem, ut sociis ne deesse videretur opem tulerit.

B

rit vel rebus desperatis, ut coercita potentiorum licentia, revocata severitate legum, asserto ab exactorum fraudibus ærario, restaurata Classe, stabilito commercio, purgato à fæce Plebeiorum hominum nobilitatis ordine, compresso furore singularium certaminum, Rempublicam pristino splendori reddiderit: addat ad hæc quæ bella confecerit & quam nova arte pugnandi, recenseat ad extremum quas gentes vel fregerit, vel debellarit, vel imperio adjunxerit. Hæc & alia id genus quæ sim infinitus in commemorando, qui Fama præcinente audierit universa de Ludovico dici, ubi eum semel aspexerit, dicta reputabit esse modestius: sic ut quæ in principum vulgo laudibus effusa dicitur esse Fama usque ad assentationem, parcior eadem in laudando Ludovico, ac pœne non satis æqua maximo principi videatur.

Id adeo experiri se quotidie testantur, quotquot ad eum veniunt è diversis mundi partibus legati exterarum gentium. Quorum unum inter ceteros ferunt, sagacem imprimis & exquisiti judicij virum, cum à sapientissima Venetorum Republica obsessis Cretensibus auxilia impetraturus accessisset in Galliam, ad primum Regis aspectum exclamasse, ea quæ de ipso fama spargeret, etsi essent maxima, longe esse inferiora iis, quæ in augustissimo vultu sibi videbatur intueri.

Emicant videlicet in egregia facie Regiæ virtutes, tot illustrium seu semina, seu vestigia facinorum, un-

de conijcere cuique liceat, quid sit sperandum amicis, quid hostibus metuendum ab eo, cujus vultus tam facilem subjectis veniam, quam certam superbis cladem prænunciet. Atque hinc illa sine dubio est non audita ante hunc diem ejus in vincendo celeritas, qua sic præstantissimos post hominum memoriam duces superavit, utne ille quidem, de quo famosum illud *veni vidi vici* circumfertur, Cæsarium primus item & maximus, cum eo comparandus esse videatur. Quid enim causæ dicamus fuisse quamobrem vix intra dies decem, idque hyeme, subegerit sequanos, in quibus vel Dola una potentissimos recenti etiamnum memoria exercitus repulisset post obsidionem longam, coëgissetque infecta re discedere? Quid existimemus esse quod plures una æstate urbes acceperit in Belgio, quam totis viginti duobus annis, quibus postremum, quod cum Hispanis gessimus, bellum perduravit, obsederant tot duces maximi? Cui vero rei assignemus captas in expeditione nupera, intra menses admodum duos, Provincias quatuor, occupatas Urbes amplius quinquaginta, transitum Vahalim, superatum Isalam, trajectum sine ponte & navigio Rhenum, oppugnatas arces munitissimas, quas inter, quam Skenkium dicunt, Fredericum olim Nassavium, nemo nescit quantum ducem, totos undecim menses legimus tenuisse? Fælicitati id quidem & natali, ut aiunt, astro plerique tribuunt: livor est eorum qui fortunæ affingere amant quod virtuti de-

tractum velint. Imbecillam Regis sui ætatem prætexunt Hispani : inanis causa est, eam Reginam habent quæ virum suppleat. Dant Batavi proditori suorum: calumnia est, qua non advertunt plus dedecoris inuri sibi, quibus turpe est dignos æstimari qui prodantur ab omnibus, quam gloriæ detrahi Ludovico, cui quod parere omnes, vel prodita patria velint, sane est pulcherrimum. Causantur militum numerum alij & exercitus Regij robur : quasi vero tot urbes, tam firmis instructæ propugnaculis, tanta opum vi, tamque immensis sumptibus munitæ, situ ipso loci defensæ & altissimorum objectu fluminum, nec anno-na, nec milite destitutæ, quemvis exercitum ad menses saltem aliquot singulæ morari non potuissent. Hæc sane qui in medium afferunt, non advertunt satis rem habere se cum ea gente, quæ difficillimo Reipublicæ tempore, Carolum Imperatorem cum eo exercitu, qui par invadendæ Galliæ avidissimo Principi visus esset, sistere coegerit ad Metas & in Hispaniam se suam desperata postmodum expeditione recipere. Fecit Ludovico, mihi credite, AUDITORES, fecit tam celerem victoriarum cursum major quædam vis, quam quæ militum numero inest aut peritiæ ducum, peperit hos triumphos Regi maximo digna orbis imperio nulli non visa majestas : cùm eum nemo unquam aspexerit, qui & habere hostem non reformidarit, & non optaverit habere principem.

Definant jam admirari nationes exteræ tam diu-
turnam

turnam quam inexpertam majoribus nostris Gallia tranquillitatem, desinant obstupescere, cum audiunt eam esse apud nos auctoritatem Regij nominis, ut in ea, quam post felices tumultus suscipere Ludovicum necesse fuit, ordinum regni omnium emendatione, inventus nemo sit alicujus notæ, non modo qui opponere se Regiis sanctionibus palam, sed qui vel contra liberius obloqui ausus sit. Non est illa certe, à Ludovico nostro, ut ab eo quondam qui ejus nominis Francorum Regum undecimus fuit, prudentia subtiliori, ne dicam subdola, parta observantia Regiæ dignitatis, non stabilita ut olim terrore suppliciorum, non fallacibus eloquentiæ illecebris veterum more conquisita, sed imperiosa vi quadam nativæ majestatis, cujus venerationem cum populis indiderit ipsa natura, hæere animis multo firmiter, quam quæ ab ascititio imprimitur ornamentorum apparatu necesse est. Vnde æstimare vobis jam liceat, quam jure pronunciatum hoc à me sit statim initio dicendi, plus posse in Ludovico, ad conciliandam sibi populorum reverentiam majestatem oris, quam ornamenta dignitatis. Cui si & istud addidero, posse plus quoque in eodem ad terrendos hostes animi vim, quam exercituum robur, effecero id quod volui: præ cæteris merito Principibus magnum dici à nobis LUDOVICUM, in quo nihil minus sit, quam quod sit Regum maximus.

Non est hoc ei satis, qui hostibus suis videri for-

C

midabilis velit, si viribus valeat plurimum. Prostratos legimus à pueris gygantes, nec evenit illud raro, ut exigua bene institutorum militum manus exercitus fuderit numerosissimos. Qui præter ferrum nihil habet quod opponat hosti, aperit qua vinci possit: & ut sane vincat, fortunæ perinde est atque virtutis. Imo ut facta vulgo aliena malignè homines amant interpretari, temeritati facile tribuitur quod à fortitudine esse non constat.

Delectent eos, qui populi rumores captant, ambigua virtutes, sectentur incertam laudem, qui non aspirant ad solidam. Non placet Ludovico virtus, quæ si Fortunæ visum sit, vitio dari potuit, non aridet animo vere magno gloria, nisi quam prudentia certo consilio pepererit. Ut enim concederet committere aliquid Fortunæ posse duces exercituum cæteros, licere idem propterea Regi profecto non putaret. Sic enim existimat peritissimus regnandi Princeps, habendam esse sibi hanc propriæ majestati reverentiam, eam ut ludibrio fortunæ, quantum sinit humanæ vitæ conditio, non exponat: neque vero putat fas esse Regi, qui sit patriæ pater, gloriam quam obtinere tuto possit, populi sanguine civiumque cædibus ambiciosè mercari.

Anni sunt omnino quinque aut etiam plures, cum bellum denunciare Batavis potuisset. Et vero ut faceret suadebant populi vota, novæ, ne quid gravius dicam, Reipublicæ fastum non ferentis, urgebat proce-

rum ardor otij impatientissimorum, accendebant atroces injuriæ, eo stimulantés acrius, quod inferebantur ab iis à quibus minime debuissent, abundabat pecunia, milite, ducibus, nec adeo erat quod à Batavorum sociis sibi admodum metueret. Continuit iram tamen eo rerum flexu Rex moderatissimus, & in tempus illud ultionem distulit, cum eam rei vitare non possent.

Magnum sane futuris Regibus fortitudinis documentum, ne se cum peti primum pungique sentiunt, exardescant illico, sed dissimulent dolorem tandiu, donec telum avulsum è vulnere, certo in hostem ictu retorquere liceat.

Tulit Ludovicus graviter, ne dubitate AUDITORES, sperni ab ingrata gente tum sua, tum majorum beneficia, doluit ab iis interturbari consilia sua, à quibus juvari maxime oportuisset, audiit non sine indignatione summa, Batavos fœdus contra se iniisse cum Hispanis, quorum jugo subducti alias Gallorum opera fuissent, pertraxisse in easdem partes Reges potentissimos duos injectis suspicionibus, concitasse pollicitationibus vanis Germaniæ principes, Europam omnem famosis libellis impleviffe: hæc audiit inquam sed dissimulavit, indignationemque cohibuit quandiu spes non adfuit certæ ultionis.

Repetamus memoria tempus illud, AUDITORES, cum querebamur, studere paci Ludovicum magis, quam deceret tot laceffitum injuriis Regem, indeque

discamus vel Regum otia revereri ; recordentur Batavi cum riderent umbratiles ejusdem pugnas , cum excursions in Belgium annuas ostentationi vanæ tribuerent, cum curam disciplinæ militaris quotidianam ludum appellarent , indéque & ipsi discant Ludovicum timere vel ludentem.

Nimirum dum sic ludebat, Suecum à fœderatorum amicitia revocabat , Carolum Angliæ Regem sibi simillimum pertrahebat in suas partes, Bavaricam gentem Germaniæ potentissimam , contracta cum Comite Palatino affinitate, icto cû Electore Colonienfi fœdere , sibi devinciebat ; Bernardum Monasteriensem Episcopum, fidei hostibus non minus pietate quam bellandi peritia formidabilem , conciliabat ; centum deniq; hominum millia sub armis habebat.

Næ vos , Batavi , imprudentes , qui agere Ludovicum posse , vel inter ludendum , seria non putastis. An ignorastis habere hoc ab æterno numine Regum mentes , quocum habent ipsi multo plus quam cæteri affinitatis, ut in regendo orbe ludant, & ad nutum moveant quidlibet , nec quietis inde suæ quidquam aut tranquillitatis amittant.

Jam tertius mensis est, cum occupatis quæ ad Rhenum sunt, Isalam atque Vahalim fœderatorum urbibus, nullam reliquit iis integram è Provinciis septem, nisi quæ habuit unde seipsam & aqua & civium sanguine mergeret : an propterea decessit quidquam Galliæ tranquillitati ? num eodem otio non abundamus ?

damus? num eadem rerum copia non fruimur? Bellum gestum est eo apparatu quo nullum aliud antea gestum esse legimus, quid populis inde accessit incommodi? quæ secuta annonæ caritas? quæ publicæ quietis perturbatio? domitæ sunt intra menses duos eæ Provinciæ, quæ vix intra centum annos partæ Batavis antea fuissent, quid inde accepit Respublica detrimenti? an exhausta milite Gallia? an destitutæ civibus urbes? an repletæ funeribus & luctu familiæ? & nisi pretiosi sanguinis aliquid in ipso victoriæ æstu, ne homines nos esse oblivisceremur, profusum fuisset, quanti tandem nobis Hollandia stetit? quid jam esset, quo nos bellum gessisse recordaremur, præter victorias?

Silere leges dicuntur inter arma, ^{videmus} jacere artes, musas squallere, hebescere aciem ingeniorum ac retundi; & has certe patitur hodie infelix Hollandia calamitates: sed Galliæ nostræ quid simile contigit? quam in ea mutæ leges non sint, imo quam disertæ sint & eloquentes, æstimare potuit quisquis in Senatu nuper, dum post autumnales ferias solemnî concione instauraretur, interfuit. Quam vigeant artes omnes, quam sint florentes musæ, quam culta literis politioribus ingenia, plane perspexerit, qui vel nostram Rothomagum viderit.

O fœlices eo Rege Gallos, quo incorruptis pacis fructibus bellum geritur, quo vincitur sine periculo civium, quo nullo publicæ tranquillitatis detrimen-

to triumphatur ! Eccui vero videatur mirum , quod vota pro pace jam faciamus nulla , ut bellis superioribus solebamus , quod bellum hoc ament etiam mulieres , cum nemo sit quem inter victores communis nominis censeret non delectet , ubi non propriæ quietis impendio , non amicorum periculis paritur victoriæ laus , sed Magni Regis prudentia hostes concilio magis & animi vi , quam exercituum robore infringentis.

Quod tamen æstimari nolim eo dictum à me , ut detrahatur de florentissimi exercitus gloria quidquam , qui ut sibi pericula defuerint , periculis ipse certe non defuit. Audivimus è ducibus non paucos , qui hostium in deditioe faciendâ facilitatem accusarent , qui optarent Nassaviorum tempora , qui de Fortuna quererentur , quod lectissimæ juventuti pugnandi non fecisset copiam eo bello , quo militaris disciplinæ omnis , institutore Rege , posituros se sperabant nobile tyrocinium.

Quod quidem si defuit , quanquam nec omnibus defuit , tribuant ipsi sane sibi , qui ea statim initio belli ediderint miracula fortitudinis , quibus obistere visum sit non humanarum esse virium. Qui hostes timidos nollent , facere debuerunt audaces. laceffere oportuit primum , & animos inflammare sensim levibus injuriis , non terrere statim obsidione quatuor urbium ; faciendâ spes fuit tuendæ patriæ servatis veterum bellorum legibus , non inji-

ciendus continuo stupor inaudito natatu fluminum, eccui enim animus fuisset sistendi quos Rhenus non moraretur?

Ne tamen, ne desiderate ereptas tum vobis pugnandi occasiones, milites fortissimi, in alia vos reservabat pericula Ludovicus. Prævidebat scilicet intentus in eventus omnes animus futuros qui gloriæ suæ inviderent, prospiciebat consilia sua, etsi æquissima essent & plena pietatis, suspecta iis fore quibus virium infirmitas persuadet nihil esse tutum, intelligebat non defore pro misera conditione temporum qui ut juvarent hæreticos, suos turcis exponerent. Quid igitur aliud fecit Rex sapientissimus, cum salvis & incolumibus vobis Batavorum urbes & Provincias occupavit? nisi campum fortitudi vestræ liberum aperuit, quo absque ullo aut affinium aut amicorum periculo tentare vobis belli aleam liceat, vota ipsi facere pro salute vestra, securi de sua, possint.


HORUM votis ut addatis vestra, nec meæ tenuitatis est hortari vos, MAGISTRATUS AMPLISSIMI, nec est sane necesse: cum Galliæ toti perspectum plane sit, quam optent augeri partibus in dies novis Ludovici imperium, qui partem ejusdem optimam tanta sedulitate & vigilantia in officio contineant. Qua in re dum illustrissimum ordinis vestri PRINCIPEM imitamini, dignos sane vos probatis, quos ordinibus regni cæteris in exemplum proponamus.

D I X I.


cientes continuo laboribus hauriunt
 ceteri enim animas sicuti sicuti passim
 morantur
 De cetero de desiderata eripere non vobis pu-
 gandi occasione, milites fortissimi, in alia vos re-
 forasat pericula laboribus. Pericula solliciti
 tentis in ceteris omnes animas hauriunt quibus
 his invident, propiciet condilia sua, estis equis
 tina essent & bona pietatis, suscipite istos quibus
 vatum istis rebus nihil esse turis, hauri-
 ligebat non debet pro milita condicione repon-
 tum qui videntur haurire, hauritis expon-
 rent. Quid igitur aliquid haurit haurientibus
 tum haurit, et incolumibus vobis haurientibus
 de & haurientibus occupavit, ante carpitum hauri-
 tate vobis haurientibus, quo adque vobis hauri-
 haurit, et haurientibus periculo tentis, vobis hauri-
 aliam haurit, vobis haurientibus haurientibus, hauri-
 de sua, possit
 haurit vobis haurientibus, nec meo hauri-
 haurit haurientibus, haurientibus haurientibus
 necesse haurientibus, cum Gallis haurientibus
 plane haurientibus, haurientibus haurientibus
 haurientibus haurientibus, haurientibus haurientibus
 tentis haurientibus, haurientibus haurientibus
 Quo in re haurientibus haurientibus, haurientibus
 haurientibus haurientibus, haurientibus haurientibus
 haurientibus haurientibus, haurientibus haurientibus











Th

5796